



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretrialium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio XII. In Titulum XII. De Scrutino In Ordine Faciendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](#)

quod , afficiens personam ordinandi , vel ordinati . Hoc accidens quandoque est bonum , ut morum probitas , prudentia , scientia &c. quandoque malum , ut morum pravitas , illiteratura , excommunicatio , suspensio , infamia , &c. sed de his in praesens nihil dicendum occurrit , cum

multa jam præmissa sint , reliqua in sequentibus dicenda , præsetim quoad quasdam irregularitates , quæ petuntur ex diversis accidentibus cujusmodi sunt defectus natalium , servitus , bigamia , &c. V.

num. 2795. & seqq.

* *

QUÆSTIO XII.

IN TITULUM XII. DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO.

2190. Per scrutinium in ordine facendum hic intelligitur examen Ordinandorum ; sic Desselius hic §. 1. Hoc scrutinium , seu examen Ordinandorum duplex est ; unum ante , alterum in ordinatione facendum ; Vallensis hic nu. 2. Primum fit ante ordinationem , inquirendo (juxta Tridentinum sess. 23. c. 7. de reform. de ordinandorum moribus , vita , natalibus , titulo , scientia , habilitate &c.) secundum in ipsa ordinatione , quæ sit ab Archidiacono , quem Episcopus solet interrogare , an eum , quem exhibet ordinandum , sciat esse dignum ? qui tunc responderet , se scire dignum esse , quantum humana fragilas patitur . Primum examen fieri debet feriâ quartâ ante ordinationem , vel quando Episcopo videbitur ; sic Trid. loc. cit. ibi : sancta Synodus , antiquorum Canonicum vestigijs inhærendo , decernit , ut , quando Episcopus ordinationem facere disposuerit , omnes , qui ad sacrum ministerium accedere voluerint , feriâ quartâ ante ipsam ordinationem , vel quando Episcopo videbitur , ad civitatem evocentur ; Episcopus autem , Sacerdotibus , & alijs prudentibus viris , peritis divinae legis , ac Ecclesiasticis sanctioribus exercitatis , sibi ascitis , Ordinandorum genus , personam , etatem , institutionem , mores , doctrinam , & fidem , diligenter investiget , & examinet . Ad hoc examen non tenetur Episcopus vocare Archidiaconum ; sic Barbos. in cit. loc. Trid. nu. 3. Ut Archidiaconus licet respondeat , se scire dignum , sufficit , quod nesciat , illum esse indignum . Barbos. in c. unic. h. t. nu. 1. non tamen rudi nescientia ; quia re verâ non oportet DEI , ac summi Domini nostri ministerio aptare , nisi testimonialibus literis , ut vere pientissime præcipit Innocentius

XII. de quo nu. 2123. legitimè instructos , in qua re gravantur conscientiæ , de moribus , & scientia deponentium ; si enim reflexio fiat , de aptandis ad ministeria seminarum ; quæ ibi cura ?

Praeter hæc not. 1. in hoc decreto Tridentini , per civitatem intelligi Ecclesiam Cathedram ; vel saltem , si ex causa aliqua Ordines celebrari contigerit , Ecclesiam digniorem ; sic Sylvester V. Ordo. 2. n. 8. quamvis , ut constat ex praxi , quandoque Ordines conferant Ordinarij etiam in Ecclesia commodiore ; aut etiam Oratorijs , vel proprijs , vel Monasteriorum , aut Collegiorum .

2191.

Not. 2. per ordinandorum genus intelligi , num sint ex parentibus Catholicis ; vel de proditione damnatis , aut nati de Matre serva ? num legitimi ? non autem an descendant ex progenie Hebræorum ; nisi alio impedimento laborent , quo excludantur à suscipiendis ordinibus ; de quo V. Sanchez in decalog. tom. 1. l. 2. c. 28. per institutionem autem ibid. ut examinentur super titulo sufficienti , sine quo non debent ordinari , juxta dicta à n. 2151.

Not. 3. Primum examen , pertinere ad Episcopum ordinarium ; qui , si cui dat dimissorias , ad Episcopum alienum , instituere prius debet examen de vita , & moribus instituenti , juxta Trid. sess. de reform. cap. 3. ibi : Episcopi per semetiplos ordines conferant ; quod , si ægritudine fuerit impediti , subditos suos aliter , quam sane probatos , & examinatos , ad alium Episcopum ordinandos , dimittant ; excipe , nisi malit , hoc ipsum committere illi Episcopo , qui sic dimissum ordinaturus est .

2192.

Not. 4. Episcopum , ad quem aliquis pro recipiendis ordinibus , à suo Episcopo , legitimè dimissus est , esto hic habeat com-

mendatias, super examine jam facto, posse illum denuò examinare pro sua securitate, si velit; ac rejicere, si non *idoneum* repererit, nimirum instructum qualitatibus, quæ in ordinando exiguntur; sic Layman in *proem.* ad c. *unicum* h. t. exc. si *Episcopus* 37. de *præbend.* in 6.

Not. 5. *Episcopum* non posse denuò examinare promotos à suo Antecessore, nisi post promotionem aliqua nova causa

supervenerit; si verò idem *Episcopus* aliquos, minus idoneos ordinaverit, eos suspendere debet; sic *Barbosa* *in cit. loc. Trid.* nu. 8. Qualiter autem *Episcopus Clericos sibi subjectos, etiam cum suo assensu ordinatos, ab alieno Episcopo, nihilominus examinare valeat?* constat ex *constitut.*

Innocentij XI. supra §. *Porro,*
de quo nu. 2131.

QUÆSTIO XIII.

IN TITULUM XIII. DE ORDINATIS AB EPISCOPO, QUI EPISCOPATUI RENUNTIAVIT; VEL AB EXCOMMUNICATO.

2193.

Antelresolut, not. 1. *Episcopum*, qui *Episcopatui* renuntiavit, desinere esse *Episcopum proprium talis loci*; sic *Valensis* hic nu. 1. quo posito: Resp. *Episcopum*, qui renuntiavit *loco tantum*, seu *dicesi*, non autem *Episcopali dignitati*, invitatum, seu rogatum ad hoc ministerium ab alio *Ordinario*, recte conferre ordines, sicut priùs, c. 1. h. t. si autem loco simul, & dignitati, posse tales conferre majores, validè quidem (cùm retineat characterem *Episcopalem*) sed illicite, etiam rogatum ab alio; sic *Barbos.* *in cit. c. 1. nu. 5.* *Tota hæc responsio fundatur in c. 1. h. t. ibi: Alexander III. Archiepiscopo Toletano,* super his, quæ diximus, quæstionem moventi; sic rescriptit: respondemus igitur distinguendo, utrū renuntiavit *loco tantum*: an *loco simul, & dignitati?* nam, in primo casu ordines (sicut antea) rogatus ab *Episcopo aliquo*, poteris de ratione conferre: in secundo verò casu, distinguendum putamus, utrum *sacros contulerit*, an minores? si enim à tali *Ordines usq; ad subdiaconatū* aliquis accepterit (quia & hujusmodi *Ordines à non Episcopis quandoque conferuntur*) & in illis servire poterit, & ad maiores (si idoneus fuerit) promoveri: sane si ab eodem *sacros Ordines scienter quis* receperit (quia indignum se fecit) executionem officij non habebit: ubi autem non *scienter*, poterit (nisi crassa, & lupina fuerit ignorantia) discretus *Pontifex* dispensare V. infra nu. 2802.

Not. 2. *Episcopum excommunicatum, excommunicatione durante, suspensum esse ab exercitio ordinis Episcopalis*, sic *Valensis loc. cit.* quo præmisso dicendum, *Episcopum excommunicatum, durante excommunicatione, conferentem Ordines, validè quidem agere, sed illicite;* & cum ignoranter ordinatis ab *Episcopo excommunicato*, dispensare *Episcopum*; scilicet cum *scienter*; nam cum hoc dispensat *Pontifex*. Dixi *dispensat Episcopus*, non tamen *ordinans*; ne dispenset super proprio defectu; sed alius, nimirum proprius *Episcopus*, si ipse non fuit ordinans; vel ipse *Pontifex*. Hæc tamen intellige de *Episcopo excommunicato vitando*. Nam *occultus*, aliquem ordinans, non facit, ut recipiens, exercitio ordinis ab eo recepti privetur. *Barbosa* in c. 2. h. t. quod sic habet: cum *Clericis*, qui ab excommunicato *Episcopo ignoranter* ordines receperunt, per suos poterit *Episcopos* dispensari.

Not. 3. *Sacros ordines, scienter recipientes ab eo, qui loco simul, & dignitati renuntiavit, executionem officij non habere*, c. 1. h. t. & dispensari à solo *Pontifice*; si autem ignoranter, ab *Episcopo*. *Barbosa in cit. c. 1. nu. 6.* & constat ex dict. c. 1. cuius textum retulimus nu. 2193.

QUÆ-